
IMAGO B. MARIAE VIRGINIS

QVAE APVD VENERANDAS SS. SIXTI, & Dominici Moniales à mille ferè annis maximo cultu asseruatur

Ex antiquitatis tenebris eruta, & illustrata à
FLORAVANTE MARTINELLO
ex vetustissimo Codice MS. Monasterij Sanctæ Cæciliæ Transtiberim, aliisq. Vaticanæ Bibliothecæ Codd. & probatæ auctoritatis Scriptoribus.



ROMAE, Apud Ludouicum Grignanum. 1635.
Superiorum Permissu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacr. Pal. Apost.

A. Torniellus Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Palatij Apostolici Magister Ordinis Prædicatorum.

EMIN.MO PRINCIPI

S. Q. R. E.

Pœnitentiario, & Bibliothecario

F. ANTONIO

BARBERINO

Card.

S. ONVPHRII

Florauantes Martinellus.



IRGINIS Magnæ Iconem artificio Magni Pictoris expressam vt bono in lumine collocem, ad BARBERINVM Solem afferre necessè habeo Princeps Eminentissime. Neque vereor,

ne non præſidij radium tui opel-læ meæ, dum Virgini laborat, accommodes, qui Eidem ſine Originis labe Cõceptę laxiſſimas Aedes effuſo liberaliter auro ſubſtruxiſti. Quin eo etiam nomine tenuiſsimo libello pollicitus patrocinium tuum ſum, quòd ille tàm multiplici titulo tuus eſt, vt longè maius habeat à BARBERINA maieſtate pretium, quàm quantam deduxerit ab authore tenuitatem. Viue quàm diutiſſimè Eccleſiæ bono, & bonorum præſidio.

NAR-

NARRATIO

DE PRIMA ORIGINE, ET inuentione huius Sacratissimæ Imaginis

EX VETVSTISSIMO CODICE manuscripto Monasterij Sanctæ Cæciliæ Transtiberim fideliter repræsentata.



PVD omnipotentem Dominum nunquã proculdubio fuit, nec erit vsque in finem dedignatio miserendi. Sed quod de salute humani generis antè mundi formationem diuinitùs ordinauit, nouissimis temporibus misericordiam adimpleuit. Quod enim prophetatum est de vnigeniti Filij sui per Vates veridicos Aduentu, Natiuitate, Passione & Morte, Resurrectione quoque & Ascensione in Cælos, necnon de promissione Sancti Spiritus ad Apostolorum corda firmanda, Proœmiũ.

manda, perfectum sine dubio, completumq; certissimè constat. Cuncta enim secutura diuinitùs præsciens, ante secula decreuit, qualiter secula disponantur, & ideò quẽadmodum statutum fuit; vt generi humano, quod tenebatur sub iugo dæmoniacæ dominationis, proueniret adiutorium, quod liberaret illud à seruitute diabolica, ita nimirùm Sanguine Christi peractum est. Constat enim, Deum Patrem omnipotentẽ, qui credendus est sine initio, & sine fine, quiq; omnia tenens à nullo tenetur; omniaq; gubernans à nemine gubernatur Filium suum, hoc est Verbum suum conceptum de Spiritu Sancto, & natum ex Maria Virgine misisse in terram: Vndè Prædicator egregius, Paulus videlicet Apostolus, * Deus. *ait: Misit Dominus * Filiũ suum factũ ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Natus ergo Dominus Christus & ablactatus est, & adultus, temptatus quoque, passus, mortuus,*

&

& sepultus, tertia die resurrexit. Quæ omnia propter nos nimirùm, & propter nostram salutem sustinuit; & peccata nostra, sicut Isaias prædixerat, ipse portauit.

Igitur post Resurrectionẽ suam per quadraginta dies cum proprijs conuersatus est discipulis, quibus præcepit ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris: & inter alia dixit eis. Nisi ego abiero, Paraclitus nõ veniet; dum assumptus fuero, mittam eum ad vos. Quod impletum esse quis fidelium abnuat, cum in Actibus Apostolorum veracitatem astruatur, Videntibus Apostolis, & pluribus testibus, Dominus ascendit in Cælos. Tunc Apostoli reuersi sunt Hierosolymam à Mõte, qui vocatur Oliueti.

POST Resurrectionem Domini;

Et post pauca. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu, & fratribus suis. Cumq; ergo Beatissima Dei Genitrix almifica conuersatione moraretur

ERANT Apostoli Hierosolymæ cũ Maria Matre Iesu.

cum Apostolis, eßetq; non solum intima, sed etiam exteriori pulchritudine admodùm gloriosa, cælitùs moniti inter se Beatissimi statuerunt Apostoli, vt ad memoriam posterorum depingeretur admirabilis vultus illius, QVI DVM PER MANVS LVCÆ EVANGELISTAE, NEC DVM ADHIBITIS COLORIBVS, SED DESIGNATVS TANTVMMODO ESSET, SVBITO REPERTA EST IMAGO illius admirabilis decore præfulgens, vtpotè non operibus manuum carnalium, SED DEI OMNIPOTENTIS INEFFABILI VIRTVTE DEPICTA. Quod videntes Apostoli exultauerunt spirituali tripudio, debitasq; laudes cuncti Saluatori Deo humiliter reddiderūt. Post acceptionem verò Spiritus Sancti, dum dissseminarentur Apostoli toto Orbe terrarum, Venerabilis & gloriosissima Virgo in domo Ioannis Apostoli & Euangelistæ sedit per annos nouem; sicq; ad Aetherea comitatu nimirùm, vt credendum est, Archan-

QVAM depingendā statuerūnt per manus Lucæ Euangelistæ.

IMAGO à Luca delineata tātum, reperitur coloribus perfecta.

Archangelico ſubleuata eſt.

Poſt aliquod autem tempus eadem Venerabiliſsima Imago, non abſque diuino, vt creditur, nutu in hanc Romanam Ciuitatem, digna proculdubio reuerentia, per quendam virum Deo plenum abducta eſt. IMAGO Romam defertur.

Eodem autem tempore degebant in hac Ciuitate quidam tres Viri, non ſolum carne, ſed & mente germani, quorum nomina erant, TEMPVLVS, Seruulus, & Ceruulus, qui à Conſtantinopolitana exulantes Vrbe hìc manebant, in loco videlicet, qui tunc temporis vocabatur SANCTAE AGATHES IN TVRRI. Omnipotēs itàq; Deus, qui gloriam ſuorum nequaquam patitur cælari Sāctorum, præcipuèq; illius Virginis, quæ lumē edidit, quod cunctos irradiat Sāctos, per viſum apparere dignatus eſt vni eorum, videlicet Tempulo, vita mirifica conuerſanti, eumq; monuit, inquiens, Imaginem celeberrimæ, vnicæq; Virginis Mariæ ab illo viro, qui eam Romanis indu- IMAGInis admonetur diuinitùs Tēpulus.

xit

xit manibus, quocunque modo potueris, acquirere satage, illamq; in Ecclesia, quæ tuo adiacet hospitio, reuerentissimè colloca. Per illam siquidem diuinitas mea & tibi solaminis gratiam, & Romanis, qui huic loco deuotè famulati sunt, non modica largietur miracula. Expergefactus itaque vir ille, quem Deus sua visitatione dignũ effecerat, iuxta mandatum, quod cælitùs acceperat, diù quæsitam MERVIT ICONAM ACQVIRERE, *quam profectò venerabilissimam studuit in hac Ecclesia venerabiliter collocare.*

IMAGO locatur in Aede S. Agathę in Turri.

Quæ scilicet ECCLESIA *Omnipotentis Dei gratia cũ à priscis eatenus* S. AGATHES *titularetur, ab eo tempore crebrescentibus miraculis, quæ per sępe nominatam Imaginem Dominus operari dignatus est,* SANCTAE MARIAE *competenter accepit vocabulum. Illi sanè tres germani, quorum priùs mentionem fecimus, eò deuotiùs in eodem loco vsque ad finem exitus sui habitaue-*

ÆDES S. Agathæ nomen S. Mariæ accipit ab hac Imagine.

tauerunt, quò virtutes inibi cælitùs fieri frequentissimè cognouerunt.

Verùm quia, vt ita dixerim, ex diuino medicamine solent inuidorum corda tabescere, quidam Clerici nefandæ stimulis æmulationis incitati à Pontifice Sergio Venerabili, qui tunc temporibus Romanæ præerat Ecclesiæ, obtinuerunt, vt tam ingens virtutum Thesaurus Lateranensi collocaretur Palatio; quandam enim fingentes verisimilitudinem aiebant; Oportet vtique rem maximam loco maximo collocari: Quod tamen dicentes, vt postmodum rei euẽtus insinuauit nequaquam honori deifico prouidebant, sed suæ nequiter auaritiæ consulebant. Omnipotens autem Deus, qui noluit hũc locum eiusmodi fraudari patrocinio, tale tantumq; dignatus est patrare miraculum; vt quamdiù volubilis huius mundi rota voluitur, hic Sacratissimus locus, apud quem constat eandem cælitùs prouenisse virtutẽ, honori quàm maximo habea-

INCITATUR Sergius Papa ad locandum Imaginem in Palatio Lateranensi.

habeatur, quemadmodum in ſequentibus conabitur declarare.

IMAGO ſoléniter transfertur inuitis Monialibus in Lateranum.

Igitur, vt præfatum eſt, dum prænominati Clerici ſubrepentes Apoſtolico Papæ cum numeroſa hominum adueniſſent frequentia, ſacratiſsimamq; Imaginem, ancillis Dei, quæ hic caſtiſsimè, ac regulariter conſeruabantur, ſingultu maximo renitentibus abſtuliſsent, venerant ad locum, qui dicitur, Spleni, vbi terroriferis coruſcationibus, ingentibusq; tonitruis diuinitùs conſternati mouere ampliùs greſſus nullatenùs præſumpſerunt. Quo audito ſupranominatus Pontifex non minimo terrore concuſsus eſt, atque locum illum reuerenter adiens, vbi MANIBVS, vt credimus, ANGELICIS DEPICTA IMAGO detinebatur, Omnipotenti Domino aliquantiſper deuotiſsimè ſupplicauit, ac deindè ſurgens ab oratione per ſemetipſum eam vſque ad Lateranenſe Palatium baiulauit, atque iuxta Domini, & Saluatoris noſtri reuerendam

TONITRUIS, & coruſcationibus impeditur translatio.

PONTIFEX prçuia reuerenti ſupplicatione Imaginé tráſfert.

rendam Iconam reuerentissimè collocauit.

Verùm nunquid humana valet industria contra ineffabilis diuinitatis præfixam, incõmutabilemq. sententiam? Sequenti denique nocte stupendo, atque incomprehensibili miraculo ad eundem locum diuinitùs est reducta, vndè præcedenti die fuerat non sine magno ancillarum Dei mærore violenter potiùs, quàm religiosè abstracta.

IN LATERANO locata diuinitùs ad S. Agatham in Turri redijt.

Quam nimirum stupendam virtutem iam superiùs nominatus Præsul comperiẽs, ad hanc Sacrosanctam Ecclesiam deuotus, ac diuino timore concussus aduenit. Cumq; diligenter inquireret ab ancillis Dei, quæ hìc degebant, qua hora noctis vidissent eam ad locum pristinum reuocatam, Abbatissa earum, quæ magnæ proculdubio grauitatis, ac sanctitatis erat, ingenti præmisso fletu, ad eiusdem Apostolici vestigia corruit, dicens: Media ferè nocte dum nimis angustiarer ob vnicæ Dominæ meæ ablatam figuram, mæroribus, atque pro peccatis meis Omnipotentem

PONTIFEX de miraculo Abbatissã loci inquirit.

ABBATISSA factũ recenset.

tentem

tentem Dominum erectis brachijs obsecrarem, subitò illam intuita super fenestram, vt aliquod volatile animal ingredientem, atque in loco, vbi ecce, auctore Deo, habetur, semetipsam strenuè collocantem.

PONTIfex obstupefactus ante Imaginē solēnia celebrat.

Pontifex igitur vnà cum suis profectò Sapientissimis Consiliarijs alto mentis acumine tàm mirum aspiciens miraculum, ac reminiscens Abacuch, quem corporea mole grauatum constat angelico ministerio à Iudæa in Chaldæam subitò fuisse delatum, semetipsum in conspectu eorum, qui aderāt culpabilem reddidit, atque in eodem loco Missę solemnia celebrauit.

ET DOna plurima eidem confert. Oleumq. pro luminarijs per Lateranēses ministros dari constituit.

Præterea dona plurima iā dictæ domui liberaliter tribuit, atq; pro cōcinnandis luminarijs eiusdem Ecclesiæ sufficiens oleum constituit venerandæ Imagini omni tēpore per ministros Lateranēsis Palatij ministrari, ad laudē Domini Nostri Iesu Christi, qui cū Patre, & Spiritu Sancto viuit, & gloriatur Deus per infinita seculorum secula. Amen.

Hactenus MS. Codex.

FLORAVANTIS MARTINELLI

Ad præcedentem narrationem NOTAE

Et Obſeruationes Hiſtoricæ.



X allata narratione pro comperto habemus Diuæ AGATHAE, poſt SANCTAE MARIAE IN TVRRI Templum cum adiuncto Monaſterio ſacrarum Virginum, quæ ſacram Imaginem, de qua agimus, cuſtodiebant: Vocabatur in Turri à Turre Campanaria, quæ erat in capite Scalarum Baſilicæ Sancti Petri. S. AGAtha cur vocata in Turri.

SITVS HVIVS ædis demonſtratur in Ichnographia veteris Baſilicæ Vaticanæ, quam Tiberius Alfaranus An. Domini 1590. edidit, vbi num. 149. S. AGAthæ ſitus.

hæc

hæc notauit. *Altare olim S. Mariæ in Turri, vbi electus in Imperatorem à Canonicis S. Petri recipitur in Canonicum.*

IN SANcta Agatha electus in Imperatore recipitur in Canonicum Bas. Vat.

De hac IMPERATORIS RECEPTIONE, Cæremoniale Basil. Vatic. hæc habet. *Ingrediantur Porticum ad Capellam, quæ vocatur B. Mariæ inter Turres, ibi à Canonicis, & Collegio Ecclesiæ occurrente recipitur Imperator.* Vocatur inter Turres tum à dicta Turri Campanaria, tum ab alia S. Iustini Turri, cuius Ecclesia erat in Porticu S. Petri. Hinc ex Ioannis XIX. præscripto Syluæ candidę Episcopus processionem in die Dominico Palmarum facturus exeundo procedebat ad maximũ S. Petri Altare, vbi Missam celebrabat; quod recenset Panuin. de Basil. Vat. & Grimaldus MS. in Bib. Vat.

S. AGAthæ locus vocatur Paradisus.

Hanc D. Agathæ Ædem Anastasius Bibliothecarius * in Paulo Primo vocat PARADISVM his verbis.

** In var. lect. quam*

Fecit

Fecit autem in atrio antè Turrem Sanctæ Mariæ ad Gradus, quod vocatur Paradisus, Oraculum antè Saluatorem in honorem S. Dei Genitricis miro opere, & decorauit magnificè. Anno 1609. labente perijt hoc Pauli Primi musiuum opus ad augustissimam Templi Vaticani frontem à Paulo V. excitandam. Ornabat autē faciem ipsius Ædis S. Mariæ in Turri, habebatq. Saluatorem in rota stellata sedentem in sede gemmata, benedicentem pollice cum anulari coniuncto, & sinistra tenentem librum, in quo scriptum erat. *Ego sum resurrectio, & vita.* hinc inde tres Angeli per latera venerabundi; infra, quatuor seniores hinc indè coronas offerentes; in quorum medio erat aer ignitus, cuius exemplar affert Iacobus Grimaldus, qui in eodem MS. notat, Innocentiū II. eandem Ædem restituisse, & in eius Altari sub Gregorio XIII. amoto fuisse

refert Iac. Grimald. MS. in Bib. Vat p. 30.

VOCAtur S. Maria ad Gradus, & ornatur à Paulo I.

Grim. cit.

p. 57.

RESTItuitur ab Innocentiō II.

repertas Reliquias SS. Innocentij Papę, Mauritij, & aliorum Sanctorum, quæ hodie in sacrario Vaticano asseruantur. Cuius Altaris mensa præseferebat hanc inscriptionem.

EST IN HONORE PIAE
DOMVS ISTA SACRATA MARIAE
Grim. Cit. HOC INNOCENTI
TE PRAESVLE PERFICIENTE.

APVD eam fundatur Xenodochiū à Stephano III.

Propè hanc S. AGATHÆ, siuè S. Mariæ Ecclesiam, quam Anastasius vocat DIACONIAM, Stephanus Tertius Papa fundauit XENODOCHIVM, de quo idem Anastasius his verbis refert. *Foris muros huius Ciuitatis Romanæ secus Basilicam Beati Petri Apostoli duo fecit Xenodochia, in quibus & plura contulit bona, quæ & sociauit Venerabilibus Diaconijs illic foris existentibus, vt perenniter permanerent, idest Diaconiæ S. Dei Genitricis, & B. Silue-*

stri.

stri. Anastasium de nostra apud Turrim Ecclesia loqui nequaquam dubito, tùm quia illam secùs Basilicam B. Petri collocat: tùm quia nominat eandem simul cum Diaconia S. Siluestri, quę erat in Platea S. Petri, omissa alia tertia Diaconia S. Mariæ, quæ erat in capite Porticus propè Hadriani Arcem.

DIACONIAE TITVLVM huic loco concessisse Hadrianum Primum Pontificem, apertè ostendit idem Anastasius hisce verbis. *Hic constituit Diaconias tres foris Portam Beatorum Apostolorum Principis: idest, vnam quidem Sanctæ, & gloriosæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ Dominę nostrę, quę sita est in Atrio* (& hæc est nostra, de qua agimus) *Aliam verò supradictæ, & intemeratę Dominæ nostræ, quæ sita est foris Portam Beati Petri* (Portam videlicèt antiquę Vrbis appel- DIACOniæ titulo donatur ab Hadriano I.

 latam

latam B. Petri, eo quod ad dicti Apostoli Basilicam iter præberet) *in caput Porticus* (& hęc erat S. Maria Transpontina solo ęquata apud Arcem S. Angeli) *necnon & aliam Diaconiam, quæ appellatur Sancti Siluestri iuxtà Hospitale Sancti Gregorij* (& hęc erat in opposito Pœnitentiariæ demolita sub Pio IV. ad ampliandam aream Basilicæ S. Petri) *Quas supradictas Diaconias hic almificus vir in abditis sine misericordiæ fructu reperiens, nouiter restaurauit. Vbi & dona plurima mobilia, atque immobilia pro remedio animæ suæ obtulit, & constituit, vt per vnamquamque hebdomadam quintæ feriæ die cum* psallentio à Diaconia vsque ad balneum pergerent, & ibidem dispensatione per ordinem pauperibus consolari, atque eleemosynam fieri.*

* Idest cãtu Psalmorum.

Huiusmodi ELEEMOSYNÆ DISPENSATIONEM fieri consuetam in nostra hac S. Mariæ in Turri Diaconia, duplici argu-

argumento conijcio, tum quia hìc erectum fuerat Xenodochium à Stephano III. Tum quia nominatur ab Anastasio propè Balneum, quod erat in Atrio S. Petri, vbi pauperes in festiuitate Paschali lauari, & eleemosynam accipere solebant. *Anast. in Vit. Pont. pag. 163.*

Leo III. eidem Ecclesiæ egregia dona contulit, quod Anastasius in eius vita his verbis testatur. *Et in Diaconia ipsius Dei Genitricis, quæ ponitur in Atrio, eodē modo fecit coronam ex argento pens. libras quinque.* & infrà. *In Oratorio verò ipsius Dei Genitricis, vbi suprà, quod dicitur Domini Pauli Papæ fecit vestem albam holosericam ornatam in circuitu de mixilo.* LEONIS III. dona erga illā. *p. 199.* VOCAtur S. Mariæ in Atrio *par. 210.*

Ex ijs, quæ hactenus diximus, & ex superiori illa narratione alius Anastasij locus, nescio an cuiquam hactenus intellectus, lucem egregiā accipit; Extat ille in eiusdem Leonis III. vita pag. 202.

Simulq; & in Oratorio Sanctæ Agathæ,
ET MOnasterium Tempuli *quod ponitur in* MONASTERIO TEMPVLI *fecit caniſtrum ſimiliter* Tempulus enim fuit ille, cui propè D. Agatham, ſeù S. Mariam in Turri commoranti, per viſum apparere dignatus eſt Deus, à quo nomen Oratorium illud accepiſſe certò credere licet.

LEONIS IV. dona in illud. par. 267. Leo item IV. ergà hunc ſacrum locum beneficentiæ ſigna oſtendit alia donatione, quam recenſet Anaſtaſius his verbis. *In Oratorio, quod Pauli dicitur Papæ* (à Paulo videlicèt I. locum illum ornante, vt ſuprà oſtendimus) *miræ pulchritudinis obtulit veſtem, Aquilarum habentem hiſtoriam cum cruce de chryſoclauo, & gammadijs vnam.*

Atq; hæc, quæ de prima huius ſacræ Imaginis ſede, ac domicilio certiſſimis argumentis hucusq; comprobauimus, perſpicui erroris pleroſq; noſtri & ſuperioris æui ſcriptores conuincunt; Nam

quo

quo tēpore hæc ſacroſancta Imago fue. rit vel Romam translata, & quæ ſit ECCLESIA S. MARIAE TRANSTIBERIM, vbi eadem à Monialibus cuſtodiebatur, prorsùs ignorant Theodoricus de Appoldia[a], S. Antoninus[b], Ferdinandus de Caſtiglio[c], & alij; Thomas autem Maluenda, illis non ſatis cautè examinatis, Imaginem, & Moniales ad eam S. Mariæ Tranſtiberim, quæ Tituli Calliſti, vel Iulij dicebatur, translatas fuiſſe ſcripſit: qua in re ſi non toto, quod aiunt, cęlo, ſaltem tota Vrbis regione illum erraſſe exiſtimo. Nam quod Theodoricus de Appoldia allegatus à Maluenda inquit: ***Erat tùm in Vrbe inſigne quoddam Monaſterium Sanctimonialium, quod Sanctæ Mariæ Tranſtiberim dicebatur.*** Ex eo haud quaquam apud Titulum Calliſti, vel Iulij dictas Moniales habitaſſe perſpicio: ſed hoc tantū Theodoricus affirmare videtur, Monaſte-

THOmas Maluenda emēdatur.

a *Relatus à Maluēda.*

b *3. p. Hiſt. c. 4. tit. 23. §. 11.*

c *c. Hiſt. Domin. lib. 1. p. 1. c. 38.*

rium illud alicubi Transtiberim ad Sā-ctæ Mariæ olim fuisse; quo autem loco fuerit, id lectori diuinandum reliquit. Theodoricum ijsdem verbis sequitur S. Antoninus cum alijs, quorum vestigijs hæret Maluenda. Melchior Inchofer, qui epistolam B. Mariæ Virginis ad Messanēses Coniectaneis illustrauit, licèt Maluendæ opinionem haud quaquam probare videatur, nihilominùs & ipse in Transtiberina regione dubius oberrat, dum veram indagare conatur S. Agathæ in Turri Ecclesiam. Verùm cùm ex pluribus alijs argumentis iam antè à nobis expositis, tùm ex eo, quòd antiquitatis Ecclesiasticæ peruestigatores, qui de Titulo Callisti agunt, nec Imaginis huiusmodi, nec Monialium vspiam meminerint, id pro certo concludendum est, Imaginem, & Moniales à Sergij Pontificatu vsque ad Honorium III. non discessisse ab Ecclesia

In Addit.

Sanctæ

Sanctæ Agathæ in Turri, quæ & S. Mariæ Trāstiberim cum pluribus alijs Ecclesiis D. Mariæ dicatis, vltrà Tiberim sitis, dicebatur.

Eoq; magis id firmari debet, quod vidi publicum cuiusdem Contractus documentum ex Monialium inibi commorantium Archiuo gratiosè exhibitū à R. P. Magistro Ioanne Baptista Marino S. Indicis Congregationis Secretario, in quo, anno scilicèt 1206. earum Monasterium vocatur S. MARIAE IN TEMPVLO. Idem cum plurimis antiquitatum monumentis sit refertum, lubet subnectere.

In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnat. millesimo ducentesimosexto, Anno verò nono, Pontific. Domini Innocentij III. Papæ, Indict. decima mensis Nouemb. die vigesimasexta. Ego quidem D. Simon Clericus Ecclesiæ S. Martinæ cū cōsensu, & voluntate D. Eugeniæ ABBATISSAE S. MARIAE



RIAE IN TEMPVLO, cuius eſt proprietas, & cui com. dedi 5. ſol. pro . . . . & Monacharum eiuſdem Monaſterij, ſcilicet Cæciliæ, Scholaſticæ, Dariæ, & conſenſu Ioannis Ingiradæ Iconomi . . . . . : ex mea bona voluntate vendo, & inueſtiens trado, & concedo tibi Beneincaſæ Leonardi, tuisq. hæredibus, & ſucceßoribus, & cui ſecundùm tenorem d. loc. concedere volueris in perpetuum, ideſt, vnam petiam Vineæ plus minus cum terra vacante iuxta ſe, de qua Vinea liceat tibi fodere quinque ordines cum vaſca, & tin. & vaſculo, cum arboribus ſuis, & cum omnibus ſuis pertinentijs, poſitam infra Vrbem ante Clauſtrum dicti Monaſterij, via mediante, quæ eſt primum latus, à ſecundo tu tenes iure dicti Monaſterij, à tertio Gratianus Fraiapanus iure S. Thomæ de Formis, riuo mediante; à quarto hæredes Petruccij de Petro mediante aqua, pro quatuor lib. prouiſ. & 12. ſol.

quas

quas mihi pro toto pretio dedisti. Vndè renuncio exceptioni non numeratæ pecuniæ, pro eo quod omni anno reddatis dicto Monasterio quartam partem musti mundi, & aquati, & vnum canistrum plenum de vuis, quod in fundo sit duos palmos, & vnum submissum in altitudine, & omnia, quæ in dicta loc. continentur, ei adimpleatis, & persoluatis, & amodo in anteà liceat tibi eam intrare, tenere, possidere, & quicquid secundùm tenorem dictæ locationis facere volueris in perpetuum. Ego verò pro me, & meis hæredibus, & successoribus promitto tibi, tuisq. hæredibus, & succeßoribus eam ab omni homine, si opus & necesse fuerit, defendere, & omnia, quæ dicta sunt, obseruare, & contra non venire; Si nolueris, vel non potueris, tàm ego, quàm mei hæredes, & successores componamus tibi, tuisq. hæredibus, & successoribus pro pœna, dictæ pecuniæ duplam: & solutione pendente hæc clau-

ſula firma permaneat; quam ſcribere rogaui Ioannem S. R. E. Scrin. Romani Bonęgentis Scriniarij filium, in menſe, & Indic. x.

Nicolaus Cecatrocta Teſtis.
Cencius Gregorij Teſtis.
Romanus Ioannis Gratiani Teſtis.
Petrus Pulzellus Teſtis.
Gualterius Carari Teſtis.
Ego Ioannes S. R. E. Scrin. compleui, & abſolui.

IMAGO, & Moniales ad Sāctum Sixtum tranſferuntur à S. Dominico.

His igitur firmatis, certum eſt A B hac S. MARIÆ Eccleſia AD S. SIXTI Titulum IMAGINEM iam olim FVISSE DELATAM à S.Dominico, Ordinis Prędicatorū Fundatore, quod Auctor ms. Cod. Vaticani, qui ſub numero 1258. aſſeruatur cap. 8. his verbis teſtatur. *Anno igitur ab Incarnatione Dñi 1219. duodecimo Kal. Martij, quod tunc erat prima Dominica Quadrageſimæ, venerunt*

runt D. Abbatiſſa cum Sanctimonialibus ſuis de Tranſtiberim, accipientes in poſſeſſionem Eccleſiam S. Sixti, vbi habitare cęperunt, Domino perpetuè ſeruiturę. Inter quas erat quædam puella nomine Cæcilia tunc 17. annorum iuuencula, quæ in ipſo Portæ introitu prima omnium habitum ordinis aſſumpſit à Patre Sancto, in manibusq. eius tertia vice obedientiam profeſſa eſt. Poſt hanc Abbatiſſa, ceteræq. Moniales, necnon totæ aliæ ſimiliter indutæ, & profeſſę ſunt, quæ omnes numero 44. extiterunt. Romani verò glorioſam illam Imaginem Dei Genitricis Mariæ, quę apud Moniales Tranſtiberim manſerat, indè auferri dolebant, eo quod pateret eis acceſſus facilior Imaginem intuendi. Idcircò Pater prouidus nocte ſequenti, duobus Cardinalibus, D. videlicet Nicolao Tuſculano Epiſcopo, & D. Stephano, cuius Nepotem ſuſcitauerat, comitantibus, alijsq. plurimis perſonis cum multitudine

prę-

prȩcedentium , & subsequentium luminarium, nudis pedibus incedentibus cunctis , desideratissimam illam, ac dulcissimam Virginis Matris Imaginem proprijs humeris reuerentissimè deportauerunt: Quã sorores nudis pedibus in oratione positȩ expectantes eamdem cum lachrymis, & cordis iubilo susceperunt, quȩ permanet vsque hodie apud ipsas. Hactenus ms. Vaticanus, cum quo consentit Theodoricus de Appoldia lib. 2. c. 8. cuius verba refert Maluenda ad annum 1218. c. 15.

Cȩterùm cũ Sanctimoniales A SANCTO SIXTO ob grauem illius loci intemperiem, vtpotè in deserta Vrbis regione, sub Pio V. AD BALNEA PAVLI (qui locus vulgò Bagnapoli, & imperitæ plebis errore corruptiori nomine Bagnanapoli appellatur) transmigrarét, illuc etiam Venerabilem hanc Imaginem, veluti pretiosissimum Cimelion, secũ attulerunt, Templo sub DD. Sixti,

TRANSferuntur ad Balnea Pauli in Quirinali.

&

& Dominici tutela, ac Monasterio sub Fratrum Prædicatorum regimine extructo.

Verùm illud haudquaquam silentio prætereundum existimo, quod HÆC SACROSANCTA IMAGO, quam & vetusti Codicis narratio, tum fama, & cõstans traditio à S. Luca depictam affirmat, publicè in maxima Vrbis calamitate, irę diuinæ placandę, & pesti auerruncandæ, A S. GREGORIO MAGNO CIRCVMLATA FVERIT, Testibus Appoldia, & S. Antonino (quos Maluenda cõtra seipsum imprudentissimè Testes producit) quibus ego Ptolemæum Lucensem addo in Historia Ecclesiastica, quam vidi ms. in Bibliotheca Vaticana sic scribentem. *Et hanc Letaniam, seù Processionem septiformem, vt gesta referunt eius* (Gregorij Primi) *sic ordinauit, quia Imaginem Beatę Marię, quam B. Lucas refertur pinxisse, mandauit prę-*

IMAGO circumfertur in Vrbis peste à Sancto Gregorio Magno.

Ad an. 1217. c. 22. §. cæterũ.

cede-

cedere, quę à multo tempore in S. Sixto fuit locata, & adhuc est ibidem. Idem *An.1218. scripsit Auctor Codicis * Vaticani, quē paulò antè testem citauimus his verbis. *Hęc Imàgo veneranda, quam S. Gregòrius ob imminentem plagam repellendam tēpore quodam Paschali antè Processionem cum Litanijs deferri iussit per Vrbis circuitum reuerenter. Et ecce tota aeris infectio virtuti Virginis in sua Imagine cooperanti cedebat, tanquam fugiens, eiusq. pręsentiam ferre non sustinens; sicq. mira serenitas, & aeris puritas per gratiā Dei Matris Màrię Virginis remanebat: auditęq. sunt voces tunc in aere iuxtà Imaginē in hunc modum,* Regina Cęli lętare, alleluia. Quia quē meruisti portare, alleluia. Resurrexit, sicut dixit, alleluia; *& B. Gregorius subiūxit;* Ora pro nobis Deum, alleluia. *Collocata est itaq. apud S. Sixtum per almum Christi Confessorem Dominicum, & duos Cardinales vene-*

ra-

rabiliter inter Virgines Imago Virginis Genitricis Dei, & Domini Iesu Christi, &c.

Sed vereor ne homines ad altercandũ propensos in me concitem, facilè enim prospicio ad sententiam hanc acerrimè impugnandam insurrecturos complures, qui alias B. Virginis Icones ad sedandam hanc Vrbis pestilentiam circumductas fuisse contendent, idq. argumentis nec numero paucis, nec momento leuibus euincere conabuntur: Verùm vt meas rationes habeo, cur nõ temerè illis assentiar, ita nec pertinaciter à meliori cuiusquam sententia dissensurum profiteor. Hæc autem non altercandi studio, nec vt aliarum Imaginum auctoritati, ac venerationi præiudicium vllum afferrem, sed ad pristinũ huius insignis, & celeberrimæ Imaginis cultum à temporis iniuria vindicandũ obiter afferre, & prudenti lectorũ iudicio examinãda, relinquere volui.

Et ne quid ad huius Imaginis celebritatem asserendam desiderari queat, audiamus, si placet, Auctorem sacrarum Vrbis Antiquitatum in copiosissimo Vaticanæ Bibliothecæ penu delitescentem numero 4562. qui anno Dominicę Incarnationis 1375. in hęc verba, scripsit. *In S. Sixto - - - est Imago B. Virginis, quam fecit B. Lucas, quam quidem Papa violans obtulit, seù abstulit, & in Sancta Sanctorum deportauit, dicens, Matrem debere esse cum Filio, cuius Imago est ibidem. Sed ad orationem Sororum in mane circà Auroram cum lumine magno reuersa est: & eadem Imago in Septimana Sancta mutatur in colore sic, quòd in die Parasceue ex toto palescit.*

IMAGO In Maiori Hebdomada palescit.

Tandem cũ simile miraculosæ translationis Sanctæ Mariæ exemplum recenseat Iosephus Matraia lib. 1. de Imagin. S. Mariæ in Porticu cap. 22., non

erit

erit ab hoc instituto alienum, vt illum adeat, qui talia cognoscendi desiderio tenetur: præsertim cum nonnulla in sanctæ illius Imaginis historia oppidò quam conuenire videantur cum nostra hac, quæ in extremo Quirinali ad Balnea Pauli, siuè (vt cum vulgo loquamur) in Monte Bagnanapoli apud Sacras Virgines in Ecclesia SS. Sixti, & Dominici magna cum veneratione asseruatur.

LAVS DEO.

